

943.

DE
ILLVSTRIVM
OBLECTAMENTIS
NOXIIS

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS VENIA

PRAESIDE

D. ANTONIO GVILIELMO PLAZIO

PATHOL. P. P. ORD. FACVLT. MED. SENIORE ACAD.

DECENVIRO MAIOR. PRINCIP. COLLEG. COLLEGA ACAD.

IMPERIAL. NATVR. CVRIOS. SOCIO

PRO GRADV DOCTORIS

DISPVTABIT

TRAVGOTT THEODORVS IAECKEL

GROSENHAIN. MISN.

MEDIC. BACCAL.

LIPSIAE ADD. XIII. IVLII A. R. G. MDCCLVIII.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

Diaetet.

152, 24ⁱ

Handwritten signature or mark

*aa Diaetet.
Actioj. v.
Patholog. 305.*


OVIDIVS Trist. Libr. II. 266.

Nil prodest, quod non laedere possit idem.

224



DE
ILLVSTRIVM
OBLECTAMENTIS
NOXIIS.



§. I.



Non in solis, quorumcunque demum morborum, siue Medico
praesentium molestiis dextre depellendis, siue ve- prudenter
nientium viribus in tempore infringendis, ex semper est
agendum,
HIPPOCRATIS praecepto, providentia summa
opus esse arbitror; ^{a)} verum et in consiliis, pro valetudine tuenda
subministrandis, eadem procedendum esse circumspectione, tan-
to autumo certius, quanto minus semper medico cum ignobi-
lioribus, mediaeue fortis hominibus est commercium, liberiore
videlicet ipsi, ad nobiliorum et illustriorum quoque, quorum
tueri conueniebat sanitatem conclauia, haud quaquam denegato nihil diffi-
aditu. Quamuis vero in probi fidelisque medici positum esse mulandum,
videatur

A 2

a) Τὸν ἰατρὸν δοκέει μοι ἀριστὸν εἶναι, πρόνοιαν ἐπιτηδεύειν. GALENVS comment. I.
in Praedict. Hippocratis.

videatur officio, absque vlla formidine atque simulatione, si quid contra sanitatem peccetur, ingenue dicere, atque grauius quoque monere; in hac tamen dicendi libertate, quae serua debet esse atque decens, modestiae regulae tanto cautius erunt attendendae, quanto rariorem temporum saepius fuisse felicitatem, certum est, vbi *sentire, quae velis, et quae sentias, dicere licuerit*; ^{b)} nec et semper consultum cui libet videatur atque opportunum,

vt libera possit

verba animi proferre sui.

maxime in illustrium sanitate tuenda, Vti tamen et viro bono, maxime tamen medico indignum est, *timidum vocari*, ^{c)} siquidem ingenui non est animi, quae dicenda sunt, probroso reticuisse metu, cum non nisi

degeneres animos timor arguat, ^{d)}

neque timidos facile fortuna iuuat; ita quoque intempestiuo isti timori, haud quidquam, in magnorum virorum sanitate promouenda concedendum esse, ipsius non solum priuatae rei, sed etiam salutis publicae, turpi hac negligentia facile labefactandae, exigit saepissime necessitas. Atque hanc mihi quoque datam cupio legem, dum in quibusdam illustriorum oblectamentis disquirendis, et incommodis, pleno agmine inde prodeuntibus, enumerandis occupari, ne forte promissi mei quondam dati, plane oblitus videar, constitui. Quo facilius enim, morbis copiosioribus, per oblectationum varia admodum genera blandius inuitatis, indeque pertinacioribus non infrequenter futuris, ad corpora paratur aditus, tanto utique maiore opus esse circumspicione, non sine ratione opinor, ne quid in earundem vsu administrando aduersi accidat, quo difficilius, omnique humana saepe dexteritate superius est negotium, inueteratis moribus, malis-

b) TACITVS L. I. Cap. 1.

c) ἄνερὸς ἢ κ' ἀξίον, θελὸν κεκλήθηται. EURIPIDES ap. Stob. S. 8.

d) VIRGILIUS Aeneid. IV. 13.

malisque, quorum causas prolubitu depellere non licuit, medelam cum exoptati euentus spe, ponere efficaciorē, quoque magis eo est allaborandum, vt illustriorum etiam familiis, nihil hac de causa sinistri eueniat, quod tam publicae felicitatis statum conturbare, quam priuatae incolumitatis constantiam infringere, atque quo minus

aetas robustum tertia cernat auum, ^{e)}

infelicius impedire possit. Cum vero in quiete, otio honesto, ne in oblectationibus nimii sint. quod vix vnquam negotio caret, atque in recreationibus modicis, optimum quoddam sit ponendum sanitatis praesidium, omni, vel exquisitissimorum remediorum apparatu praestantius, quo quippe, nouis etiam laboribus alacrius subeundis, corpora atque ingenia mortalium reparentur, siquidem *nihil est, quod assiduum ferre possit laborem;* ^{f)} ita in eo quoque vel maxime illustriorum prospiciendum esse sanitati, nemo non perspiciet, vt fessis a negotiorum, grauiorumque curarum molestia mentibus, dulcia quidem frequentius aut concedantur, aut certe non rigorosius subducantur, oblectationum nonnullarum gaudia, ita tamen profecto *vsurpanda, ne viribus,* quas inde optabamus restaurandas, grauius conturbatis, aut nimium prorsus exhaustis, coepti tandem, atque minus tempestiuae indulgentiae poeniteat. Vti enim ex omnium rerum, per se quoque minus vnquam suspectarum aut nociuarum, copiosiore aut minus opportuno vsu, infinita, infelici prodire solent partu mala, *satieta-tem nempe,* adde et morbum, *affert copiarum longus vsus;* ^{g)} ita ex sola abstinentia, vel moderatiore tantum ipsarum fruitio-
ne, quamplurima ad vitam humanam redundare commoda, atque eum felicem merito iudicandum esse,

A 3

qui

e) Secundum AVSONIVM *de Sene Veronensi*, Epigr. VI.

f) DIOGEN. LAERTIVS L. I. C. 4.

g) SYMMACHVS Libr. VII. epigr. 35.

qui indultis possit mediocriter uti
 muneribus, parcumque modum seruare fruendi, ^{h)}
 sapientissimorum dudum virorum comprobatum fuit suffragiis,
 quotidiana experientia abunde corroborandis.

§. II.

Diuerfa
 sunt oble-
 ctamento-
 rum apud
 illustres
 genera,

modice ta-
 men vsur-
 panda,

Variis autem modis oblectari illustriorum quamplurimos,
 atque diuerfa, a vulgatoribus longe saepe aliena esse debere ob-
 lectamentorum genera, quorum vicissitudinibus, tam mentem
 potissimum reficere, quam et corpori, grauioribus negotiis fa-
 tigato, iucundam parare requiem intendant, sublimior, qua
 pollent, poscere videtur dignitas. Magnos enim magna decent.
 Plus minus violenta atque operosa quaedam sunt. Priuatim
 quaedam suscipiuntur, quae remotis quasi arbitris, ipsoque, qui
 sanitatis curam gerere debebat medico, aut plane inscio, aut ab-
 sente tamen atque tacente, magis placere videntur. Haec vul-
 gasse, temeritatis foret. At, publicorum quorundam, ea quan-
 doque est indoles, vt in iisdem moderatius paulo vsurpandis,
 imo saepenumero plane vitandis, aut certe differendis, ingenuo
 opus esse arbitrer consilio, cui facilem concessam fore aurem,
 tanto sperare licet confidentius, quanto magis viris, ingenio
 celsiore praeditis,

illud, quod medium est, atque inter vtrumque, probatur.

Quo lubentius enim omnes, illustrioris profapiae nobilitate cla-
 ri, maxime tamen ii, penes quos superior quaedam est potestas,
 istis, quibus imperandum erat, laudabilibus probari cupiunt ex-
 emplis, cum

scilicet in vulgus manent exempla regentum,
 et quo minus dubitare licet, quemlibet suae sanitatis esse aman-
 tissimum; eo quoque minus videbitur molestum, ita in oblecta-
 mentorum vsu suis imperare desideriiis, vt vel hac ratione, ma-
 ximam esse voluptatem, felici intelligatur euentu, voluptatibus
 optimis

h) PRVDENTIVS in Hamartigen. v. 395.

optimis rarius vti, cum et iucundissimarum e contra rerum, perpetuo atque intempestiuo vsu, ob incommoda haud vulgaria, pleno inde agmine conuocata, fastidium denique contrahi soleat molestissimum, non nisi diuturniore saepe abstinentia emendandum, imo vix quidem,

cum mala per longas inualuere moras,

ex voto semper expugnandum. Cum tamen praeterea, vna nec omnibus promiscue sua-

subiectorum nec sit indoles,

nec omnibus annis

omnia conueniant,

denda.

neque eadem virium omnibus sit proportio, indeque pendentis roboris naturalis constantia; ad huius potissimum modulum, omnium quae instituuntur, tam feriarum, quam iucundiorum praepriis actionum, metiendae erunt vicissitudines, tanto minus promiscue omnibus indulgendae, quo certius est, diuersos diuersa quidem iuuare, in hac vero diuersitate rite ponderanda, omnem prudentiae medicae versari cardinem, atque eapropter loci, temporis, conditionis, aetatis, sexus, vitae generis, prudentem habitam rationem, quid faciendum, quidue omitendum sit, indubitatis indicare argumentis. *Verosimile enim est teste CELSO, ⁱ⁾ inter non multa aduersae valetudinis auxilia, plerumque bonam eam contigisse, ob bonos mores, quos neque desidia, neque luxuria vitiant.*

§. III.

Inter antiquissimorum oblectamentorum varia genera, quo- Venationis molestiae.
rum in ipso iam tum sacro codice extant vestigia, venationem vltimo neutiquam fuisse loco, complurium testimoniorum patet documentis. Neque et obscura insuper, aut minus frequentia sunt historicorum monumenta, quibus, quam assiduo labore, in hoc exercitio non solum dextre suscipiendo, verum et variis, quibus commodius excoli possit, artibus excogitandis, atque ad

i) *In Praefatione ad Medicinam.*

ad postera secula transferendis, hominum occupata fuerint ingenia, edoceri possimus. In ipsa vero venatione instituenda, eo potissimum prioribus opera dabatur temporibus, ut usu quoque suo non destitutam intelligerent, quicumque in ea suscipienda toti esse cupiebant. Veteres enim, qui

rura sequi, iaculisque feras agitare solebant,^{k)}

non oblectationis solum causa, sed et, ut tum victus sibi pararent necessitatem, tum ut corpus durioribus assuescerent laboribus, ipsi incubuisse, extra dubium omnino positum est. Taceo antiquissimorum seculorum venatores celebres, HIPPOLYTVM, Thesei filium, qui otii vitandi causa feras insectabatur, ADONIDEM,^{l)} LAVSVM,^{m)} aliosque, maximo venationis amore captos, eiusdemque dexteritate praestantes viros; nec ipsius DIANAЕ, rei venatoriae Praefidis, ARETHVSAE,ⁿ⁾ Dianae comitis, ATALANTAE, Schoenei Arcadis filiae,^{o)} laudes hic denuo celebrandas existimo, cum nemo sit, quin sciat, nullo non tempore, inter illustriora vtriusque sexus oblectamenta, venationem haud postremum sibi vindicasse locum. Id modo ex antiquitatum monumentis hic addidisse sufficiat, duplicem, apud veteres romanos potissimum, venationis fuisse modum, *campestris* nempe, qua ferae, syluis et agris inhabitantes, petebantur, cum qua forte eae nunc venandi rationes quodam modo conueniunt, quas *Klopf-Jagden*, et *Aus-Schiesen* vocare solemus; et *theatralis*, quae et *amphitheatralis* dicebatur, ubi vel inter sese ferae pugnabant, quod et hodiernum in aulis principum

k) OVIDIVS *Fastor* Libr. VI. 117.

l) Cuius mentionem facit OVIDIVS *Metamorph.* Libr. X.

m) De quo VIRGILIUS *Aeneid.* Libr. VII. 651.

Lausus equum domitor, debellatorque ferarum.

n) VIRGILIUS *Georgic* Libr. IV. 344.

positis velox *Arethusa* sagittis.

o) OVIDIVS *Metamorph.* Libr. VIII. 317.

nemorisque decus, Tegeaea Lycei,
venit Atalante, Schoenei pulcherrima virgo.

cipum adhuc fieri consuevit; vel cum bestiariis et contificibus commissae, certabant. Ita nempe animos ciuium ad caedem assuescere, opportunum, vel et laudis et victoriae cupiditatem accendi posse, putabatur; qua pari gloriae cupidine impulsus **ASCANIUS**, venationem exercuisse fertur. ^{p)} Quinimo et, **CICERONE** teste, *oculis nulla poterat esse fortior, contra dolores et mortem disciplina.* ^{q)} Istud vero exercitium, illustrioribus atque principibus viris fere semper solenne fuisse, atque nunc quoque ius venandi ad regalia pertinere, neminique, nisi cui venia a principe, siue sub feudi, siue quocunque alio nomine concessa est, libere in agrorum sylvarumque indomitos saeuire licere incolas, iuris Germanici pariter ac Saxonici gnaros, nequaquam fugit. ^{r)} Quamuis autem negari nequeat, non defuisse, qui huic, ad corpus cum iucunditate exercendum, et sanitatis praesidium haud vulgare inde impetrandum, concessae motioni, ita tantum vacauerint, vt eandem in vsum non vnum, magna cum laude, optimoque cum eventu impenderent; ^{s)} vix tamen ita *semper hanc oblectationem* suscipi solere et posse, quin complures noxae inde metuendae, multis numeris eius superent vsum, haud ita operose, neque plurimis aliis, nisi ab ipsius rei natura petitis, demonstrandum erit argumentis. Quod si enim ipsam, exercitii huius, per se satis amoeni, paulo propius dispiciamus indolem, talem vtique esse apparebit, quae non possit non, multis tamen esse stipata incommodis, ipsius iucun-

p) **VIRGILIUS** *Aeneid.* Libr. VII. 496.

Ipse etiam eximiae laudis succensus amore
Ascanius, curuo direxit spicula cornu.

q) *In Quaest. Tuscul.* II. 17.

r) Vid. **CARPZOVII** *Quaest. Crimin.* Qu. 84. n. 6. sequ. item **STRVV.**
in S. Feud. Cap. VI. aph. 13. n. 3.

s) Exemplo **ALPHONSI** regis, qui ad animum a negotiis relaxandum, non saltationem, aut conuiuia, aut alios amauit ludos, sed venatione vsum est, teste **PANORMITANO**, Libr. IV. *de rebus gestis Alphonsi.*

iucunditatem presso pede comitaturis. Vix equidem multis ignotum plane fore arbitror, diuersum esse venationem exercendi modum, dum aut ceruos maioresque feras tantummodo infectari solent, rei venaticae cupidi, aut aliis, tam minoribus quadrupedibus, quam volatilibus feris persequendis operam dedisse, iucundum ducunt. Nunc enim rapidissima cum celeritate, per plures horas, nullo semitae habito discrimine,

per dumos, qua proxima meta viarum,
ad ceruum inuestigandum, per campos et nemora agitandum, tandemque capiendum tenditur, nunc minoribus feris insidiae struuntur, quae cuncta, sine fortiore haud expediri poterant motione. Nunquam vero, omni plane hoc exercitium periculi vacare suspicione, non solum tristior ut plurimum edocuit euentus, sed et ex ipsa, corpus mouendi ratione diiudicari potest. Velocissimis videlicet vtendum est equis, quibus, optime licet edoctis, haud ita tuto semper feruntur inessores, vt eosdem

certum scilicet in orbem

pro lubitu valeant,

neque vnquam, dum spumantibus eorundem oribus regendis, vix semper pares esse possunt, inopino lapsu deiecti, luxationis, contusionis, aut fracturae ossium exponantur metui. ^{t)} Accedit maxima humorum, sudoris largiore copia fluente, dispersio atque resolutio, qua fit, quod particulae ferrosae, vinculo suo destitutae, atque a reliquis violentius seiunctae consumtaeque, dyscrasiam facile inducturae, sanguineae massae aut nimiam spissitudinem, aut, ob rapidiorem cursum conciliatum, inflammatoriae

t) Tristissimo FVLCONIS, regis Hierosolymitani exemplo, qui, cum leporem insequeretur, equo, cui insidebat, praecipiti super eum dato, misere periit. vid. ROBERTVS ABBAS *in Chronic.* Quo pari praematurato fato, MARIA, CAROLI, Burgundiae Ducis filia, MAXIMILIANI Imperatoris coniux, in venatione ex equo cadens, in flore iuuentae obiit, referente LAZIO, *Libr. III. rerum Viennensium.*

matoriae malignitatis fomitem suggerere valeant. Nec respiratori suae porro defunt incommoda. Clamore continuo incitandi sunt canes, nunc retrocandi, nunc, ut feram denuo infectentur, instigandi, cornua venatoria inflanda, ut remotioribus, qua via sit pergendum, aut significetur, aut capta nunc fera, receptui canendum esse, indicetur. Frequentior intercurritandum et equitandum trahitur aer, mole non solum sua pulmonibus molestus futurus, sed et, vasa visceris huius tenerioris premendo, sanguinis aequalem cursum impediturus, exaestuationem eius, motionis accedente vehementia, concitaturus, maiore non solum copia hauriendus, sed peior etiam inspirandus, cum ob temporis autumnalis, quo istae potissimum celebrari solent venationes, iniurias, dum

manet sub Ioue frigido

venator,^{u)}

nimbosioris, crassioris, humidioris, frigidioris iam tum, matutino praepriis tempore aurae impuriora ferenda sint effluvia. Inde membrorum lassitudini, ob humores nimium exhaustos, arthriticis doloribus, ob intempestivam a sudore refrigerationem, catarrhalibus affectibus, ob fluidorum serosorum confluxum excitatum, capitis doloribus et vertigini, ob spirituum, nimia cursus rapiditate exagitationum conturbationem, sputationi cruentae, ab aeris mole, vasa folliculosque pulmonum premente, facile excitandae, aliisque pectoralibus morbis, aditus paratur liberrimus; imo, quod equitationem frequentiore atque violentiore exercentibus haud raro evenit, herniis, a succussatione atque intestinorum conquassatione facile orituris, opportuna suppeditatur occasio, e quo iterum fonte, alia infestissima corpori prodire mala, medentes nequaquam fugit. Quae molestiae, cum et valentiorum persaepe conturbare soleant sanitatem, tanto citius iis funestae esse possunt, qui pulmonum

B 2

vitiis

u) HORATIVUS *Carm.* Libr. I. Od. I. 25.

vitiis laborant, sanguinem spuunt, haemorrhoidum aut anomalias, aut nimium fluxum patiuntur, sanguinis orgasmum experiuntur, spiritibus facile conturbantur, vertiginosisque morbis obnoxii sunt; quae cuncta mala, leniorem ut plurimum, nedum violentiorem, vix ferre valent motionem. Vnde facillimo profecto nunc concludi poterit negotio, non omnibus inter illustriores, quorum haud semper satis firma robustaque sunt corpora, hunc oblectationis tuto suadendum esse modum.

§. IV.

Magnatum
mensae, ad
diaetetica-
rum regu-
larum nor-
mam non
semper in-
structae.

Redeundum tamen est a venatione, atque de virium, crebra fortiorique motione deperditarum, reparatione cogitandum. Certe, si quid unquam est, quod ventriculum ad cibos invitare poterat capiendos, motionem vel leuiorem utique, hoc facile praestare, suo quemlibet edoctum saepius exemplo fuisse, arbitror. Tanto certius vero, appetitum per venationem excitari, iudicandum, quanto maior fuerat virium iactura facta, non nisi victu conueniente ex voto restauranda. Nihilo tamen secius, confestim ad cibum potumque capiendum properasse, tutum vix dici poterit. *Nimium quippe commoto, aestuantique corpori, neque ad tranquillitatem adhucdum recte composito, alimenta tradidisse, tanto minus consultum videbitur, quanto operosius ipsi denuo iniungitur negotium, in ciborum digestionem et concoctionem suscipiendum; cui quidem functioni, ad legum naturalium normam placide absolueandae, debitarum videlicet virium deficiente integritate, nutritionem, tanquam effectum finemque potiore, minime respondere posse, haud difficulter coniecere licet. Nondum suum solidae partes receperant tonum, diuturniore quippe exagitatione nimium debilitatae, extensae, detritae, ad nouum negotium subeundum confestim haud adigendae. Spiritibus praeterea nondum, ad limites debitos redeundi, concessa erat libertas, non nisi sufficiente remissione impetranda. Quod, quantumuis etiam fuisse videatur factum,*

ctum,

Etum, ipsas tamen etiam magnatum mensis appositas dapes, si paulo propius dispicere lubeat, non vnam hic deprehendi posse autumo iustissimam causam, sinistra quaeuis, a quantitate pariter ac qualitate ciborum et potulentorum metuendi. Quamuis enim omnis delectare dicatur varietas, ipsam tamen haud semper iuuare autumandum, quin potius, multiplici hac, numerosiorum dapum diuersitate, qua

*non bene iunctarum discordia semina rerum, **)

corpori ingeruntur, vix vllam sanitati parari accessionem, insignemque magis poni remoram, paucissimis exposuisse sufficiet. Hanc nempe optimam diaetam, lautam videlicet, olim iamtum pessimam dictam, non sine summo incommodo a corpore ferri posse, ex ingestorum facile coniiciendum erit apparatu. Nihil profecto est, quod ad calorem naturalem, cuius incolumitati, quouis modo conseruandae, exoptatus omnium functionum debetur successus, citius supprimendum magis faciat, quam quotidianus multorum ciborum, vltra satietatem sumtorum vsus. Arduum quippe per se iamtum est, quod ventriculo, in cibis, moderatius etiam sumtis, debite concoquendis, et in vsum corporis praeparandis *conuertendisque*, demandatum est officium, in quo rite peragendo, fibrarum iusto tono, spirituum continuo affluxu, motusque peristaltici ordinato opus est progressu. Cui functioni, si ingestorum alimentorum mole, remoram posueris, segniorem digestionis officinam factam intelliges. Inde enim est, quod vigore destitutus ventriculus, in miscendis exactius cibus, et chymo bono conficiendo retardetur, semidigesta alimenta intestinis tradat, et, aut minus sufficientis, aut abundantis nimium, praeproperaeue chyli elaborationis causa fiat, cruditates generet, accumulet, atque ex iisdem grauatiuum sensum nauseamque percipiat, imo, contentorum denique impatiens, eadem vomitionibus frequentioribus remetiatur. A qua cibo-

B 3

rum

x) OVIDIUS *Metamorph.* Libr. I. 9.

rum copia, si quidem alimentorum dyspeptorum, vel modo etiam contrariorum, accedat qualitas, humorum porro elaborandorum, minus opportuna quoque pendet productio. Varia nempe ventriculo committuntur fercula, dulcia, falsa, acida, amara, pingua, fumo indurata, assa, cocta, frixa, nativa pariter ac arte parata, optime quidem, verum parum apposite condita, quae assidentes ad plus capiendum inuitando, corporis tamen minus bonam dispositionem, vel hac ipsa peregrina miscela ipsi insimul inducendam, praenunciare poterant. Aut enim ventriculi parietes membranoso-musculosi, grauius pressi extensaque, relaxatione inducta, officio suo minus pares futuri, ad cibos subigendos inhabiles redduntur, aut contenti intra ventriculum menstrui gastrici qualitas plane obtunditur, atque alimentis soluendis digestionique accommodandis, prorsus inutilis euadit, aut certe maximam partem vitiata, quo minus plenarie suum exequatur munus, impeditur. Quo facto, laudabilis chyli sperasse elaborationem, frustraneum est. Chylificatione minus ad votum expedita, non poterit non, vbi eidem ad secundas vias faciendus est transitus, sanguinea quoque massa, prauis, heterogeneisque inquinari moleculis, nutritionem parum exoptatam, reliquorumque humorum fecernendorum ignobiliorem prouentum perfecturis. Accedit bellariorum, atque secundarum mensarum mira prorsus varietas, qua, finito fere prandio aut coena, nouae mox ventriculo, prioribus cibis debite concoquendis parum apto, struuntur insidiae, nouaeque in simul, nouas corpori excitandi molestias, cumulantur causae. Ita enim, dum dulcia, tam visciditate sua, ventriculi et intestinorum parietes obducunt, atque pituita copiosa, primas potissimum vias implent, quam acorem tandem contrahendo, acrioribus cruditatibus prognerandis apta euadunt, tenacius postmodum in diuersorio suo haerentia, tum primis cum secundis viis corrumpendis aptam suggerunt materiam. At, potu forsitan corrigi posse videbitur ventriculus, ne, quod nimium ingestum

Diaeta aquosa.

gestum erat, hac ratione temperandum, molestiore sensatione ipsum praegravando, infeliciorem, tono ipsius potissimum labefactando, subministret fomitem. Vereor tamen, ne et hic successus optatis non sit responsurus. Circa vtrumque, tam vinosum, quam aquosum potum errari posse, nullum est dubium. De hoc iam pauca addam, de illo mox etiam nonnulla dicturus. Est complurium, nobiliorum quoque, nostris praecipuis temporibus mos, vt, dum cereuisiam quamcunque demum, aut auersantur, aut ipsam suae minus conuenire credunt constitutioni, aquam potasse iucundius ducant, atque sanitati conseruandae opportunius. Neque omni consilium hoc interdum carere vtilitate, certum est. Quo simplicior enim aquae est qualitas, tanto minus a noxiis eius quidquam metuendum esse effectibus, hac sola ratione patet.^{y)} Haud quippe paucis edocemur exemplis, aquae potioribus corporis robur fuisse integrum, vitam longaeuam, morborum molestiis vacuam,^{z)} dum, quae aliis potulentis, arte factis, iunctae sunt quamplurimae particulae heterogeneae, variis modis humoribus damnosae futurae, in aqua rarius deprehendendae, humorum quoque crasin frequentius turbare valent. Ipsum tamen etiam simplicioris aquae, optimae licet vsum, minus tempestiue, minusque opportune adhibitum, tristioribus saepe effectibus producendis esse peridoneum, vix multis vt comprobare annitar argumentis, opus esse arbitror. Praeterquam enim, quod non a solo aquae potu, sanitatis maxima pars pendeat, sed et ad eam, in corporis vsum conuertendam, conueniente quoque opus sit viuendi genere, maxime vero motione, qua, ne diutius intra vasa aegre peruia haerendo, intumescentiis, distensionibus, pressionibus occasionem largiatur, praecauendum erat, ipse quoque,
aquam

y) Vid. FRIDR. HOFMANNI Dissert. de aqua, medicina vniuersali. Halae 1712. edita.

z) Confer. AVG. QVIR. RIVINI Dissert. de agrestis vitae sanitate, Lips. 1677. habita.

aquam potandi modus, non omnibus idem, diuersis quoque molestiis aduocandis, haud leuem ferre poterat opem.^{a)} Solum hic, minus certe probandam, nominasse sufficiat, aquam frigidissimam potandi consuetudinem, frigidissimam non solum, sed et glacie adhuc adiecta, vltra modum refrigeratam. Adeo vero in simplicissimo elemento, nonnullorum ingenia delectationem quaerunt prorsus peculiarem, vt et alienis mensibus niuem algere cupiant, corporibus minus solito tempore inimicissimam futuram. Morem hunc debemus Graecis, infelici traduce ad Romanos, posterosque tandem delatum, qui, dum potui refrigerando operam dabant, ingentem inde voluptatem capiebant.^{b)} Quod, quanto periculosius nullo non tempore esse solet,^{c)} tanto magis aestiuo tempore, corpore nimium incalescente, grauissimos, ex templo saepe numero inducit morbos, atque conuulsionibus, apoplecticis insultibus, a repentina stagnatione prouocatis, nec non febribus, doloribus, tussi, asthmatis, aliisque morbis pectoralibus, obstructionibus, inflammationibus, spasticis ventriculi torminibus, impetuosius desaeuendi, liberrimas subministrat causas.^{d)} Taceo iam aquarum non eandem vbiuis indolem, qua potui commodae esse possint, siquidem pro vrbium locorumque diuersitate, diuersissimae quoque aquarum reperiuntur species, haud promiscue in vsum trahendae. Vino tamen aquam iuuasse, aut ipsius moderatum, ne solo aquoso potu nimium relaxentur ventri-

a) Vid. I O. GEORG. a BERGEN Dissert. de potu aquae salubri et noxio, Francof. ad Viadr. 1718. habita.

b) PLINIUS Hist. natur. Libr. XXXI. Cap. 3.

c) Vid. AVG. QVIR. RIVINI Dissert. de frigoris danno, Lips. 1696. it. GODOFR. NEIGEFIND Dissert. de noxiis effectibus frigoris, Erford. 1740. habita.

d) peculiarem, ex, aqua, glacie mixta, crebriusque pota, ortum affectum, Ill. exposuit DANIEL WILHELMVS TRILLERVS, in Dissert. de fame lethali, ex callosa oris ventriculi angustia, Vitemb. 1750. habita.

ventriculi fibrae; interposuisse praestabit vsum. In ipso nihilo minus vino, quo illustrioribus frequentius vti volupe est, deligendo, non omnem superhabendam esse circumspectionem, tanto auguror certius, quanto minus, omnium vinorum diuersissimam admodum qualitatem, omnibus indistincte conducere, nec leuissima euinci potest ratione. Acidiusculis nempe, dulcioribus, plus minus spirituosis, austerioribus, recentioribus, vetustioribusue, sine vilo vti discrimine, regulis diaeteticis parum respondet. Temperamenti potius, atque constitutionis praepremis habita ratione, rem ex voto expediri posse, nullus dubito, ne, qui viribus reparandis destinatus erat potus generosior, easdem subito nimis infringat, humores impetuosius concitet, spiritus conturbet, conturbatos dissipet, se- et excretiones aut remoretur, aut ultra modum acceleret, mentis, quam exhilarare debebat, alacritati, torporem inducendo, officiat, adeo, vt exoptata melioris euentus spe cadant, qui eiusdem delictis, inscii saepe, in sui vti consueuerunt perniciem. *Praeram nempe hanc esse diaetam, statuit HIPPOCRATES, e) cum quis copiosiores cibos, aut liquidos, aut siccos, corpori tradit, deinde, cum varios et dissimiles inter se cibos immittit. f)* Ita enim

et data non apto tempore vina, nocent.

§. V.

Neque tamen fatis de vino, opportune semper non adhibito, dictum fuisse, arbitror. Etiam si enim paucissima saltem, in transitu quasi videantur de ipso prolata, generosum tamen hunc utique potum,

quo

e) Libro de flatibus. Πονηρὴ δὲ ἐστὶν ἡ τοιούτῃ διαίτῃ, τοῦτο μὲν οὖν ὅταν τις πλείονας τροφὰς, ἢ ὑγρὰς, ἢ ξηρὰς, δίδωσι τῷ σώματι, ἢ τὸ σῶμα δύναται φέρειν. Τοῦτο δὲ, ὅταν ποικίλας καὶ ἀναμοίους ἀλλήλων ἐσπέμπῃ τροφὰς.

f) Fusius hoc exposuit argumentum IO. BACMEISTER, in Dissert. de eo, quod sanitati obest circa diaetam, maxime in aulis; Tubing. 1736. habita.

*quo nihil maius, meliusue terris
fata donauere, bonique divi,
nec dabunt, quamuis redeant in aurum*

tempora priscum, g)

tanto magis iudico dignum, qui propius paulo dispiciatur, quanto largius eundem in nonnullorum opulentiorum nobiliorumque trahi experimur vsum, in quorum commodum fere tantum videtur esse natus, cum et raritate, et pretii maximopere caritate, inferioris fortis homines, natura, non omnibus omnia promiscue elargita, impeditos voluisse videatur, quo minus eundem quotidianis vbiuis locorum interponere possint mensis, et quanto plura morborum agmina, minus prouidum eius vsum comitatura, iis maxima minari solent damna, qui solo Lyaei dulcissimo delectantur flumine. Nihil profecto est, quod laudi, virtutibus, atque praestantissimis effectibus, a vino haud incassum sperandis, detrahere ausim, dum medicinae loco, ex antiquorum iam tum suffragiis, esse poterat, aut propter sanitatem tamen conseruandam adhibendum, animo praeterea exhilarando, a curis relaxando, a moerore liberando, aptissimum, nullique fere remedio, vndecunque demum petito, originis nobilitate, saporis suauitate, effectuum praestantia comparandum, nedum postponendum. Calore quippe suo, partium temperata miscela, fucci, aliis humoribus commode miscendi opportunitate, fluidorum corporis humani vnioni obsequiosum est, eorundem crasin nunc conseruat, nunc cursui segniori maiorem viuacitatem conciliat, indeque corruptioni putredinique remoram ponit; alia vt taceam multa, quae ad ipsius facere vberrime poterant commendationem, testimonia, tam a viris sapientissimis, quam experientia ipsa petita, hic, vtpote superflua, atque a re prorsus aliena, speciatim minime adducenda. Tanto ergo dono, ita citra omnem circumspectionem, aut ex instituto, aut negligentius saltem abuti,

VI,

g) HORATIUS, Carm. Libr. IV. Od. 2. v. 37.

ut, veluti PLINIUS habet, *homines insaniant*, ^{h)} tutum haud est; ita potius administrandum, *ut vires alantur, quare et Asclepiades utilitatem vini, vix deorum potentiae aequari posse, dixit.* Non hic, diu satis in utramque partem agitatum repetere litigiosam lubet quaestionem, quo tempore vini condeat usus? num ieiuno stomacho sumtum, ⁱ⁾ an vero coenae tempore potum, ^{k)} sanitati magis conueniat? neminem quippe fugit, non eandem omnium subiectorum esse conditionem, nec et inde rem ita exacte, ut nihil in contrarium monendum superfit, decidendam fore; hoc tantummodo euincere velim, non utique omni ex parte, omnium illustrium recte consultum esse valetudini, si quidem, vel inde a primis statim, tenerrimae fere pueritiae annis, ita vino assuescere discant, ut omnem saepe potus dilutioris leuiorisque fugiant, imo abominentur usum. Facile autem quemuis sponte iudicaturum confido, me non de omnium regionum hic eodem modo sentire incolis, iis potissimum, quibus cereuisiae, similisue potulenti praeparatio, aut plane est denegata, aut minus certe cognita. Istiusmodi quippe subiectorum corpora, aut consuetudinis, aut climatis etiam beneficio suffulta, *diaetam vinosam, a primis fere aetatis annis, absque incommodo ferre discant, licet nec ignotum sit, in istis omnino etiam terris, quae solius vini, maxime calidioris, abundante gaudent prouentu, aquae affusione, vel crebriore eius interposito potu, calorem vinosum temperari.* At, nostrarum regionum corpora, tanto minus vini solius, quotidianum absque molestia ferre valebunt usum, quanto certius est, vina adeo diuersa, Germanica, Gallica, Italica, Hispanica, Vngarica, Graeca, etc. ita saepius, non

C 2

seorsim,

h) Libr. XXII. Cap. 1.

i) SENECA Epist. 120. *Post prandium aut coenam bibere, vulgare est, hoc faciunt verae voluptatis ignari. Merum illud delectat, quod non innatat cibo, illa iuuat ebrietas, quae in vacuum venit.*

k) CLEM. ALEXANDR. L. II. Paedag. C. 2. *vesperi conducere putat vinum, quia non amplius seriis negotiis opera detur, aer sit frigidior, vnde calore introducto, fouendus sit tepor innatus.*

seorsim, sed vno tempore hausta, calore suo, frequentius intra corpus adacto, humores, massae sanguineae temperandae et diluendae summe necessarios, rapidius concitare, incendere, sensim postmodum dissipare, imminuere, absumere, se- et excretiones hinc summopere impedire, ventriculi liquorem deprauare, atque aut suo stimulo naturali priuare, aut nimiam acridinem inducere, cruditatibusque adeo commodissimam sternere viam, obstructionibus non vnam largiri causam, atque, quod potissimum a peioris indolis metuendum est mero, vtpote multas tartareas sulphureasque particulas continente, frequentius etiam ditiorum mensis apposito, arthriticis moliminibus dolorosis, calculi generationi, podagrae infaustissimis insultibus, neruorum morbis, capitis turbis, noctibus, ob calorem, spiritus nimium exagitantem, insomnibus, idque genus quamplurimis morbis, liberri- me desaeuendi, minus exoptatam concedere opportunitatem, facillime euitandam auertendamque, si quidem in humectando etiam per vices corpore, potissimum sicciore, quam eodem, adeo iucundo blandoque veneno, minus semper tempestiue, minusque moderate adhibito, exsiccando, atque calore lento depascente absumendo, curam ponere velupe fuerit. ¹⁾ Ita enim ciborum digestionem promouendam, chylificationis nobilissimae functioni rite perficiendae, nutritionique ex voto expediendae, haud vllum hac de parte positum fore obstaculum, felicior edocebit euentus, cum contra, vel sola constare possit experientia, atque tentaminibus, extra corpus instituendis, quamplurimos cibos, vino affuso, maiorem contrahere tenacitatem, ab eodem non resolui, imo duriores reddi, indeque, si intra corpus vino nunc fuerint iuncti, non nisi summe imperfectam concoctionem, innumerorum morborum infelicissimam matrem, infaustae suae fertilitatis tristissima edituram esse documenta.

§. VI

1) Confer. IO. EILHARD REINICKII Dissert. de potu vinoso, digestionem impediante magis, quam adiuuante, Argentor. 1736. edita.

§. VI.

Huic, corpus calido, aut calefaciente etiam potu obruen- ^{Potus Cho-}
 di mori, adiungenda merito est nimia, Succolatae, vel, ^{colate abu-}
 vulgo appellari solet, Chocolatae potum, plenis, maioribusque ^{fus.}
 pocillis hauriendi consuetudo, adeo fere in alteram conuersa
 naturam, vt, qui antiquitatis, imo et vtilitatis quodam potiore
 iure, constantiorem sibi polliceri poterant inter potus calidiores
 locum, Cofetanus videlicet, atque ex Theae foliis paratus, ad
 extremos Arabes Indosque, quibus suam debent originem, re-
 missi videantur, a mediocri tantum fortis hominibus, in deli-
 ciis imposterum habendi. Quampluribus vero hoc nunc solen-
 ne fere est illustrioribus, matutino hoc quotidie potu delectari,
 cuius haud vulgares, in ventriculo roborando, spiritibus exci-
 tandis, flatibus dissipandis, viribus restaurandis, corporeque
 etiam nutriendo, esse virtutes, dudum norunt, qui in laudibus
 eius vberius exponendis, atque potus huius amoenitate, com-
 modis quamplurimis iuncta, summopere commendanda, ope-
 ram quidem, hoc tamen neququam animo posuere suam, vt
 perpetuus nimiusque eius inualesceret vsus, atque in perniciem
 tandem *potioribus potricibusque cederet*, ex ipsa huius decocti
 conditione, haud operose quidem comprobendam. Vix autem
 multos ignorare arbitror, qualis massae huius, quae postmodum
 aut aqua, aut lacte, aut vino, quod postremum omnibus inge-
 nue dissuaserim, decoquitur, fit compositio, ex qua, paulo pro-
 pius dispecta, oleosas copiosas, fructus Cacao, qui basis harum
 est cupediarum, particulas, terreis fat multis iunctas, non ita
 ab omnibus commode ferri, quin iis, qui siccioris potissimum
 sunt habitus, aut qui biliosis molestiis laborant, atque quibus a
 pinguioribus oleosisque magis abstinendum erat, aliquo esse que-
 ant damno, neque hinc ipsi adeo insignem incomparabilemque
 forte tribui posse efficaciam, vt iure quodam cum LINNAEO,
 maximo nouorum nominum aestimatore, *Theobromatis* ipsi con-
 uenire

uenire credatur appellatio. ^{m)} Accedunt Vanillae, cinamomi, caryophyllorum aromaticorum, aliorumque aromatum, pro praeparantis lubitu mutandorum, cumuli, tanto minus omnibus subiectis proficui, quanto certius est, minus succulentorum corporum conditionem, hac ratione in multo peiorem mutari statum, dum humores ipsorum parciores iamtum, parum fluidi, nunc magis calefacti, incrassati, exsiccatique, maxima optimaque sui, quam subtrahere minime opus erat, humidi parte priuantur, augmento potius quodam, diluto [magis potu impetrando, indigentes. Cum enim, quod fide dignis constat testimoniis, ipsius Americae, ex qua primum ad nos transportatus fuit Chocolatae, vna cum nomine vsus, incolae, vino hunc substituunt potum, veluti et potum Cofetanum simili ratione apud Turcas, in vini, cuius vsus religio vetat, succedere locum, haud ignotum est; absque difficultate profecto apparere arbitror, quam potente virtute, calorem inducendi polleat, tanto magis augendum, quando copiosior eius, matutino praecipue tempore, quo vacuus ventriculus maiore gaudet sensilitate, esse solet quotidianus vsus, non nisi in medicamentosum suo tempore trahendus. ⁿ⁾

§. VII.

Exercitia
palaestrica.

Cibum et potum excipiat oportet motus. Et quidem varia admodum sunt, quae a cibo assumto, ab illustrioribus quibusdam,

^{m)} Vid. LINNAEI *nona plantarum genera*, Lugd. Batau. 1737. edita, Gen. 881. in *materia medica* vero, Holmiae 1749. edita, Class. XVIII. No. 364. *Culinaris* fructus ipsi assignat dignitatem. Omni tamen gustus sensu destitutus sit oportet, qui fructum Cacao, siue recentem siue rostum, deliciis putauerit annumerandum, nisi forte, Deorum longe aliud fuisse palatum, suspicandum sit. Ecce vero non paria, imo potiora, appellationis adeo speciosae sibi vindicare possent iura, *Ananassae*, *Musae*, *Perficcae*, *Melonis* fructus, aut *Amygdali*, *Armeniacae*, *Castaneae* nuclei?

ⁿ⁾ Praeter quamplurima alia, de hoc argumento scripta, legi poterit Domini DU FOUR *Traité du Café, du Thé, et du Chocolate*, Hag. Comit. 1693. editus.

dam, plerumque suscipi consueuerunt motionum genera, quibus concoctioni opem ferri posse, dum haud sinistro plane statuitur consilio, corpori quoque insimul, plus minus placide mouendo, iucunditatis non omnino expers quaedam subministratur opportunitas. Palaestram ex pluribus commemorasse sufficiat, cuius originem antiquiorum temporum debemus ingeniiis, siquidem et varios, artem palaestricam exercendi modos, nostris adhuc seculis intelligimus reseruatos, passim licet quodammodo mutatos, atque seculi genio magis adaptatos. Palaestram autem, omne olim dicebant certamen, quod vi corporis, erga eos, a quibus nulla illata fuerat iniuria, exercitii gratia, atque gloriae praemiique spe suscipiebatur. Suscipiebantur autem ista certamina publice, antiquo more ita ferente, atque aut ratione institutionis diuersa erant, qualia in honorem Iouis, Apollinis, inque heroum regumque memoriam instituebantur, aut a loco, in quo celebrabantur, suum indidiscabantur nomen, uti Olympia, Isthmia, Pythia.^{o)} Hodienuum similes fere ludi, priuatim tamen magis quam publice, ab illustrioribus suscipiuntur, tam ad ingenia iucundius colenda, quam ad corpus firmandum, decoramque agilitatem comparandam; quam artem, *Chironomiam* etiam veteribus dictam, tanto minus illustrioribus indignam esse existimandum, quanto magis necessariam eam ingenuis iudicabant, sapientes harum oblectationum arbitri, ad corpus dextre commouendum; vnde et FABIVS^{p)} oratori quoque futuro praecipit, ut in palaestra exerceatur, indeque compositos addiscat gestus, ne aliquando inuenusto corporis esset flexu. Quinimo nec magnorum virorum deficiunt exempla, qui in hac arte clari, laudibus cumulati fuere maximis.^{q)} Quanto vero maius ab isto exerci-

o) Diuersos hos exposuit ludos ALEXANDER AB ALEXANDRO, Lib. V. et VI.

p) *Institut. orat.* Libr. I.

q) Ita POLLUX pugilatu clarus erat, uti CASTOR equitatu, teste OVIDIO Libr. III. *Amor.* 54.

Pollucem pugiles, Castora placet eques;

Amycus,

exercitio ad corpora redundare, non sine ratione videtur emolumentum, tanto magis nihilo minus, in hoc quoque oblectationis genere ab excessu cauendum, neque omne corpus, nedum tempus, huic motioni, vtpote violentiori, opportunum esse, operosiore equidem haud indiget probatione. Siue autem hoc, artem palaestricam exercendi tempus, matutinum fuerit, atque appetitus inuitandi gratia, commodius forte habitum, siue propediem a cibo sumto, digestionis promouendae causa corpus commoueatur, tantum tamen abest, vt omnem consensum mereatur hoc institutum, vt potius multis modis plurima in contrarium dici possint. Licet nempe maior corpori videatur ante cibum sumtum esse agilitas, ipsa tamen spirituum copia, nimium profusa, humorum apparatus, sudore potissimum largius fluente imminutus, solidarumque partium attritus, semper languorem quendam, minime omnino proficuum, comitem habet, tanto magis ultra modum auctum, quanto violentior huius motionis est modus, ad appetitum destruendum magis, vel certe corpus futurae digestionis maximopere ineptum reddendum, nimium opportunus. Corpori videlicet, cuius vires fuerant exhaustae, humores praeter necessitatem et modum concitati conturbatique, haud ita facile sopiendi, ciborum nunc succurrere velle copia, lautius quippe prandent ditiores, successu optato prorsus cariturum esse consilium, haud obscuris patet indiciis. Quidquid enim spirituum, digestionis, et abinde pendentibus functionibus erat impedendum, prodigaliter iamtum absumtum, minus perfectum negotii huius adeo necessarii efficiet laborem, tunc potissimum quam maxime impeditum, si quidem etiam protinus post pastum, aut hac, aut simili vehementiore motione, sufficiens corpori virium subducatur copia, quarum vberiore opus erat apparatu, ad humores laudabiles purioresque, tranquillo magis modo intra corpus elaborandos, quibus

Amycus, Bebryciorum rex, insignis celebratur pugil, apud VALER. FLACC. Libr. IV. *Argon.*

bus materia sua, nec intempestiue erat furripienda, nec praecipitanter rapidius commouenda. Ita vero, aut non satis resolutis cibis, cruditatum intra digestionis officinam cumulatur congeries, aut humorum, minus perfecte mixtorum, ad partes nutriendas defertur, vel propellitur potius quantitas, qualitati vitiosae iuncta, onerosa tandem vniuersae machinae futura, cacochymiam, cachexiae fontem, prouocatura, obstructions varias, visceribus molestas futuras, febres grauiore, totiusque tandem corporis pessimum statum inductura. ^{r)}

§. VIII.

Alia, non minus vehemens, illustrioribusque solennior, ^{Salitio.} corpus mouendi est ratio, dum artificiosius saliendo, vires ex- ^(voltigiren.) periri, atque hoc modo agilitatis non solum, sed et dexteritatis praestantissima edidisse documenta, iucundum pariter ducitur, ac fanitati firmandae opportunum. Funambulorum autem, praestigiatorum, tropaeorum, idque genus hominum, nolo hic contorsiones, mirasque artes, aut potius ineptias, omni vsu plane destitutas, nimium quandoque *periculosas*, atque hominem *ingenuum*, nedum illustriore profapia oriundum, minime decentes; aliquam saltem, dextre saliendi puto speciem, quae Gallis *voltigiren* dicitur, cuius addiscendae magistros, cultiores habent ciuitates, potissimum academiae. Quod exercitium, dum iuuenilibus maximopere conuenit annis, cum vigor roburque membris adhuc est integrum, suo quodam vsu plane fore destitutum, constanter asseruisse haud decet. Quanta videlicet, in re praecipue

r) HIPPOCRATES *de diaeta* Libr. III. Ἄλλ' ἐντε τοῖσιν ὀρθροῖσι περιπάτουσιν, ὁκόταν ἀρξήται τὸ σῶμα διαθερμάνεσθαι, καὶ τοῖσι ὀρόμοισι, καὶ ἐν τῷ ἄλλῳ χρόνῳ ὑπερβολὴν φυλαξόμενος. Sed et in matutinis deambulationibus, ubi corpus calefieri coeperit, itemque in cursibus etiam alio in tempore, excessum vitare oportet. GALENVS *de sanit. tuend.* Libr. II. Nam neque celeris tardaeue exercitationis, optimus status eget, sed plane mediocris ac mediae, nec rursus violentae et vehementis, nec remissae et languidae, imo in his quoque mediocre optimum est, quando non alterare, sed plane seruare optimum statum corporis conuenit.

cipue bellica, atque in aliis periculofioribus cafibus, quibus fecuritatıs caufa, huc illuc fcite vertendum erat corpus, ad huius artis gnaros redundet vtilitas, antiquiffimis iamtum perfpctum fuit feculis. Ita enim apud romanos, iis qui militiae affuefcı cupiebant, falitio vel maxime erat addifcenda. ^{s)} Dum quippe praelii tempore, aut telis, aut enfibus pugnandum, aut fuga nunc fufcepta, ab infectantium armis cauendum erat, equis iam infiliiffe, iam defiliiffe praeftabat, variaque motione, huc illuc facta, ne corpus vno efflet loco, efficiendum erat; cuius exercitii vsum ad poftera tempora, magis tamen oblectationis gratia tranfiiffe, vix a quoquam in dubium vocari arbitror. Poterat tamen et fuo tempore, nimio aut intempeftiuo perniciofum effe vfu, indeque nec ab omnibus, nec omni tempore fufcipiendum. Vegeta, graciliora magis quam obefiora corpora, libere respirantia, nec externo nec interno vitio laborantia, aptiffima funt, quae hanc fufcipiant motionem. Ipfe, quo falitio haec inftituitur modus, omnem rei exponet veritatem. Totum nimirum tunc temporis concutitur corpus, mufculi violentiore conftictione, ad saltum fortiorem perficiendum, atque membra ita dirigenda adiguntur, ne aut manibus pedibusque, *aliquorfum offendendi*, minus opportuna fufferatur occasio. Quod, cum nec ab exercitatiffimis in hac arte magiftris femper euitari poffit, tanto facilius luxationum, contufionum, herniarum, quinimo fracturarum incurrent pericula, qui nimium forte fuıs fıı viribus, fpe fua non fine dolore cadunt, atque agilitatis loco, quam artubus conciliare tentabant, rei nondum fatıs forte periti, fragilitatis dolorofa capiunt documenta, minus modice ac circumfpecte fufceptae non folum huic motioni, fed et, quod in rebus, oblectationis quandam fpeciem prae fe ferentibus, haud infrequenter accidit, reiteratae, diuturniorique exagitationi vtique adfcribenda. Ita nempe offium
praua

s) Teſte VEGE T I O Libr. I. Cap. 18. Non tantum a tironibus, fed etiam a ſtipendiariis militibus, falitio equorum diſtrictę eſt ſemper peracta; tantaque cura erat, vt non ſolum a dextris, fed etiam a ſiniſtris partibus, et infilire et defilire condiſcerent, euagınatos etiam gladius vel contos tenentes.

prava conformatione facile inducta, aut internarum partium laesione contracta, totius, vel vegetissimi corporis sanitas, indelebilem patiatur oportet labem, contumacem, nullis auxiliis emendandam, totius miserae post hac vitae ingratiſſimam comitem saepissime futuram. Neque tamen solidiores solum partes, haud leui, atque non omni corporis laesione, aut certe deturpatione destituto, hac ratione expositae sunt periculo, quin et, dum fluidorum vel maxime cursui summa infertur iniuria, totius quandoque corporis constitutionem in peiorem conuerti statum, haud difficulter augurari licet. Motum nempe non solum intestinum progressiuumque, ipsis fluidis tam solemnem, quam et maximopere necessarium, non solum circulo ipsorum, ex legibus naturae rite absoluendo conducere, verum et ad secretiones excretionisque expediendas quam maxime facere, ex physiologicis constat scholis. Huic vero externus etiam corporis motus, conueniens ferat auxilium, necessum est. Quo parcius enim a torpidis, segnibus, delicatulis, vitae sedentariae nimium assuetis, exercetur motio, tanto quoque tardior fluidorum est cursus, minusque vegetum, reliquarum independentium functionum negotium, cui causae perquam foecundae, nec leues, nec paucos adeo deberi morbos, quotidianis edocemur exemplis. At enim vero, nimio quoque motu corpus fatigare, sanguinem in rapidissimum iter adigere, optimas vitalis huius fluminis moleculas dissipare, spiritus conturbare, imo plane diffundere, actionum animalium integritatem grauitate laedere, earundemque ordinem interrumpere, tonum fibrarum, fluidorum nunc sufficiente influxu priuatarum, nimioque attritu debilitatarum, infringere, non poterit non grauiorum incommodorum causis, suo tempore serius ocuis molestissimos satis effectus prodituris, merito annumerari.

§. IX.

Paucissima adhuc, pulchriorem magis sexum concernentia addendi, mihi quidem haud denegatam fore veniam, certus confido. Non plane nempe praetereunda sunt spectacula, in quibus

Ad spectacula sexui sequiori non profre-

miscue
conueni-
endum.

frequentius inuisendis instituendisque, haud postrema illustriorum posita solet esse oblectatio. Hoc vero sub nomine, non forte intellectos velim scenicos, quales hodiernum potissimum sunt, ludos, utpote quam maxime non solum innocuos, quin potius summa sua quandoque vtilitate commendandos, in quorum iam laudes excurrere, quod alia forte vberius fieri poterat occasione, instituti haud permittit ratio; eos potius huc vel maxime referendos puto ludos, spectacula, aliasque repraesentationum species, quae a funambulibus, agyrtis, idque genus praestigiatoribus, imo et pantomimis, priorum tamen numero caeterum non iungendis, curiosorum exhibentur oculis. Nec et *Θηριομαχίαν*, illos nempe, qui aut inter bestias, aut cum bestiis suscipiuntur conflictus, hic praetermittendos esse arbitror, inter solenniores festiuasque ut plurimum oblectationes, ab illustrioribus instituendas, ponendos. Videntur haec cuncta, oculis tantum pascendis concessa *spectacula*, nullo fere modo per se spectantibus noxia; erunt tamen forte inter hos, quibus ab his iucunditatibus abstinuisse, praestare poterat, alterius nempe sexus quaedam, non sine omni damno hisce certaminibus interfuturae. Maxime videlicet sensibilia esse, inter nobiliores praecipue, *molliori quippe educationi assuetas*, venustioris sexus corpora, leuiore etiam de causa, nescio an consuetudine quandoque ita iubente, an constitutionis ratione ita ferente, facile admodum irritanda, quotidiana edocemur experientia. Sunt vero ex iam commemoratis spectaculis quaedam, quae, non obstante pomposi splendoris magnificentia, horrido tamen suo non solum aspectu, crudelitatis quandam speciem ferente, sensuum validiores excitare poterant turbas, atque metu aut terrore prouocato, corpori quoque incommodius afficiendo, idonea euadere, verum etiam, quae, licet non omni destitui videantur amoenitate, subitaneis tamen suis repraesentationibus, maxime peregrina monstrisaeque saepius obiecta sistentibus, machinarumque velocissimis mutationibus, haud praeuisis, inopino mentes spectantium concutere valent terrore, corpori haud leuem quoque insimul alteratio-

ratio-

rationem inducturo. Quae, quamuis meticulosis omnibus, quibus aequae ac

infirmis, causa pusilla nocet,

studiosius vitanda erant; grauiſſimos enim ab animi pathematibus prouenire morbos, abunde constat; praeprimis tamen grauidis fugienda, quarum vel maxime interesse debebat, non solum suae tunc temporis diligentius inuigilare sanitati, variis vicissitudinum iniuriis expositae, atque de humoribus, cum vterus dulci grauis est onere, facile irritandis, sopiendis magis, quam in orgasmum adigendis, atque ad abortum producendum disponendis, quod subitaneo affectu excitato facile fieri consuevit, cogitare, sed et, ne imaginationis quoque profundioris sensu, praeter expectationem laeso, foetus conformationi minus concinnae, parum optata subministraretur occasio, sollicitam gerere curam, cum, quam miri, atque stupendi fere imaginationis sint effectus, multiplici satis confirmatum experientia constat.')

§. X.

Non solum autem, inter varia voluptatum genera, illustrioribus potiore quodam iure merito solenniora, palato, atque gustus visusque organo, hoc concessum est felicitatis, ut diuersarum lautitiarum fruitione, rerumque peregrinarum adſpectu, omnem reliquis sensibus praeripere fere existimentur, similem, aut maiorem etiam iucunditatem percipiendi, opportunitatem; quin potius, ne odoratus quoque feriari videatur officina, sua, quibus suauius mulceri possit, copiosissima parata sibi gaudet blandimenta, ingenii mortalium gratissima habenda, nouisque subinde accessionibus vberissime adaucta. Solenne nempe est praeprimis nobilioribus, ut variis modis olfactum oblectare studeant, consuetudine forte magis, quam necessitate ita exigente. Praeter frequentissimum enim, puluerum errhinorum vsum, quorum tanta est copia atque diuersitas, ut iisdem enumerandis nullo modo me intelligam parem, meamque lubens hinc profitear inscitiam, in eo quoque munditiei et oblecta-

Odora-
mentorum
incommo-
da.

D 3

tionis

t) Vid. FR. HOFMANNI Dissert. de imaginationis natura, eiusque viribus, 1687. edita.

tionis quaedam quaeritur species, vt conclauia, linteamina, vestes, omneque corpus bene oleat, spiritibus, oleis, fragrantissimisque liquoribus indefinentur inungendum, atque viuæ mumiae ad instar condiendum, indeque officio, quod post fata demum ipsi praestandum erat, ante diem prosequendum. Illustriores hunc praecipue amare morem feminas, res ipsa loquitur; e longinquo quippe saepe eas odorare poteras. At vellem, minus amarent. Minus ex voto se valere putant, nisi semper ad manum fuerit lagenula, Lauendulae oleo aut spiritu, reginae Vngaricae aqua, Melissae spiritu, Balsamo quodam vitali, similiue fragrantissimo liquore repleta, assiduis manibus, suauissimo tali latice saepius conspergendis, versanda, cuius frequentissimo vsu, omne, quod spirituum turbare poterat vigorem, obstaculum, fugari posse creditur. Continuo lauandae manus sunt, tempora inungenda, nares pascendae, aut imitandi cupidine, aut seculi genio ita ferente, aut forsitan ipsius etiam odoris suauioris insidiosa dulcedine blandius alliciente. Melius mehercule valerent, quibuscunque tantus in myrothecia sua est amor, si quidem hisce parcius pasci luberet odoribus, perniciosissimis tandem futuris. Indoles autem complurimorum odororum effluuiorum, in maxima consistit volatilitate. cum, quae lentis magis, fixioribus salino-sulphureis constant moleculis corpora, minus quoque sensibilem odoriferam gerant facultatem. Quo ergo volatilia sunt quaecunque miasmata, tanto velocior ipsorum, summae cuidam actiuitati adscribenda, ad eas partes est cursus, quae iisdem proxime recipiendis, prae aliis sunt idoneae. Ita vero narium interior tunica est comparata, vt papillulis nerueis, valde sensilibus, atque citissime commouendis, instructa sit, quarum extremitatibus tantum contactis, celerrimo itinere, agiles admodum fragrantiorum halituum particulae, ad neruorum filamenta subtiliora, indeque ad cerebrum deferuntur, id quod vel ex sola sternutatione, non grauioribus et penetrantioribus solum odoribus excitata, sed etiam solius aeris quandoque adspectu producta, cognoscitur, quam explosionem haud mediocris cerebri, thoracis, pulmonum, diaphragmatis,

tis, imo infimi quoque ventris viscerum sequitur concussio, ^{u)} tanto molestior, imo, quod pluribus obseruationibus constat, lethalis plane futura, ^{x)} quanto frequentior istiusmodi odoramentorum solet esse vsus, vasorum, quae subtilissima vbiuis, maxime tamen intra capitis cauum occurrunt, rupturam facile excitaturus, spiritus conturbaturus, fibras neruorum exsiccaturus, visui, qualia haud infrequentia sunt exempla, vitia varia contracturus, atque, quod sequiori sexui communi fere contingit fato, lipothymias, sensuumque obnubilationes inducturus, hystericas passiones prouocaturus, ipsaque, quae auertenda hoc modo credebantur cephalalgiae incommoda, cito satis inducturus. A quo, bene semper olendi desiderio, cum elegantiori potissimum sexui, perquam multi finistri immineant effectus, grauidis tamen praeterea quam maxime abstinendum esse, ex prioribus rationibus, ad ipsarum statum facile applicandis, haud obscure patet. Neque enim opus erit, spiritus ex instituto conturbasse, aut in violentiorem etiam motum adegisse, crebrioremque prouocasse sternutationem, cum posteriore potissimum commotione, intempestiue excitata, praematura quoque foetus exclusio, haud sine ratione extimescenda, minus consulti coepti tristissimum esse queat praemium; quinimo, vel certissima vasorum vterinorum, a musculis abdominalibus pressorum, atque versus interiores vteri parietes violentius adactorum ruptura, perniciosissimarum haemorrhagiarum infelicissima euasura causa, parum optatis edoctrura erat indiciis, quam magno istae emi soleant iucunditates dolore.

§. XI.

Quantopere ergo fallantur, qui opulentioribus suam inui- Conclusio.
dent, media inter oblectamenta beate viuendi felicitatem, igna-
ri tamen, quod nec voluptatibus,

nec

u) Vid. CHRISTIAN. IO. LANGII Dissert. de sternuatoriorum vsu
et abusu, §. XXX. quae extat in Operum Medicorum Tomo III.

x) Cuiusmodi exemplum est in KERCKRINGII Spicileg. Anatom. Ob-
seruat. LI.

XXXII DE ILLUSTRIVM OBLECT. NOXIIS.

nec opibus, mentes hominum, curaeque leuentur, y)

vel ex paucissimis iam expositis, quarundam delectationum noxis, haud obscure apparere posse puto. Rarius quippe aegrotant, qui simpliciore vitae genere, victuque, suae conditioni conueniente, fruuntur, gaudiis quidem, quibus se carere iniquius dolent, omnino priuati, dolorum tamen etiam, qui eadem frequentius comitari solent, facilius expertes. Tantum tamen abest, vt hinc, tum infeliciorem illustriorum conditionem velim reputandam, aut eosdem ab omni oblectationum usu cupiam auocandos, vt potius, quod sub scripti dictum fuit initium, ipsorum negotiosae maxime saepe vitae, nihil magis, quam plurimum oblectamentorum iucundissimas commendandas arbitrer vicissitudines, quibus laborum curarumque taedia, sine insigni sanitatis iactura diu haud ferenda, dulci remissione emolliantur, depellantur. Cum tamen inter nobilioris prosapiae non nullos nonnullasque, etiam sint, quibus humani quiddam aliquando pati datum est, atque facile hinc, in iucundiorum rerum usu, modi excedi possint limites, de abusu ipsarum, non nisi valetudinis perturbationem molestiorem prouocaturus, cautius vitando, aliquantulum commonendos ipsos ipsasque fuisse, haud superfluum duxi, imo necessarium. Ita enim, ingenuis consiliis haud plane spretis, felicissimam fore omnium, opto speroque vitam, ad sanitatis quandoque regularum, a prudente medico petendarum normam, accommodandam, dum nihil magis medicum decere reor, quam vt omnium quidem, maxime tamen illustriorum sanitati conseruandae inuigilet; quo pari desiderio impulsus, rem nec omnibus ingratam, nec inutilem suscepisse confido, siquidem et

officium hocce meum cum pietate fuit. z)

y) TIBULLVS Libr. III. Eleg. 3. 21.

z) AVSONIVS Edyll. II. 11.

